

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 230

Reverendis in Christo fratribus et dominis Roberto venerabili decano et ceteris Stabulensis aecclesie filiis, frater Wibaldus Dei gratia id quod est in aecclesia catholica, magni consilii angelum.

Recognovimus in litteris quas proxime vestra unanimitas ad nos direxit, vestrum illum circa nos incorruptum et inexpugnabilem affectum, quo nos a principio amplecti et confovare perseverastis, ut vere vos amicos dixerimus, qui permansistis mecum in temptationibus. Verum, fratres karissimi, dolemus vos nimium properasse in re tam diffcili, tam ardua, tam necessaria super qua universitatis vestrae consilium tanquam divinum responsum quesivimus, ubi nec orationes premissae, nec fratres Malmundarienses vocati, nec laici fideles et filii ecclesiae sunt invitati; veremurque ut pace omnium dictum sit, ne de cordibus vestris prophetetis, et nobis, quibus res est pro anima, parum provide consulatis. In retransi enim nostro ad vos, ut de domino nostro rege taceamus, plurimum domni papae offensam metuimus, quibus neglectis et adversum nos commotis, parum vobis vel alicui prodesse possemus. Fundenda sunt igitur ad Deum preces cum omni humilitate et devotione, querendum est non solum universae ecclesiae vestre, set etiam vicinarum consilium et suffragium, ut divina pietas talem vobis prestare dignetur pastorem, qui ex ejus dono possit sanare contritos corde et alligare contritiones vestras. In eo autem quod scripsistis, quia nunquam bonus pastor viso lupo officium pastoris deseruit, recolere debet vestra prudentia, quam multos, quam magnos, quam atroces lupos in regimine Stabulensis ecclesiae his XX annis, quibus ei servivimus, non absque periculo mortis et gravibus scandalis et obprobriis sustinuerimus, nec adhuc ferre detractaremus, si eidem soli ecclesiae asscripti essemus. Set cum in Corbeiensi aecclesia lupi non desint, et pastoris sit necessaria tam prudentia quam vigilantia, elegimus uni, vel si sic expedit, neutri servire, quam, utrique incubando, neutri prodesse. Et ut ad verba veteris historiae respondeamus, nullo modo credatis, quod amorem posterioris primae preposuerimus, que nec pro mandragoris Ruben nos ad priorem ingredi ad propagandam sobolem equo animo patitur; set in omnibus divinae bonitatis propositum per orationis et consilii vestri suffragium inquirimus. Spiritus sancti gratia illuminare dignetur corda vestra. Amen. Quanto maiores pressuras aecclesia vestra patitur, tanto magis indiget communi consilio; quia nichil temere aut precipitanter hoc in negotio agere volumus, set cum tanta maturitate consilii, ut et factum nostrum creatori nostro placeat, et hominum recta judicia non offendat.